



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui se scienter peierauerint. xi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De illis qui scienter se peierauerint. Cap. XI.

Ex pœnitentiâ Theodo. **S**I quis suspicatur quòd ad periurium inducatur, & tamen sex consensu iurat, XL. dies pœniteat, & VII. sequentia annos, & nunquam sit sine graui pœnitentiâ.

Quòd vnusquisque ieiunus iurare debeat. Cap. XII.

Ex decr. Corneliî pa. cap. 5. **S**ed & nobis honestū etiam & iustum videtur, vt quilibet sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat, cum omni honestate & timore Dei, & vt pueri ante quatuordecim annos non cogantur iurare.

De eadem re. Cap. XIII.

Ex cõcil. Aureli. cap. 10. **E**T hoc sancta synodus decreuit, nisi pro pace facienda vt omnes fideles ieiuni ad sacramenta accedant. *Qualem pœnitentiâ periuri accipere debeant.*

Caput XIII.

Ex decr. Eutychie pa. ca. 26. **P**eradicandum est etiam, vt periurium fideles caueant & ab hoc summopere abstineant, scientes hoc graue scelus esse, & in lege, & prophetis, & in Euangelio prohibitum. Audiuius autem quosdam paruipendere hoc scelus, & leuem quodammodo periuris pœnitentiâ modum imponere. Qui etiam nosse debent, talem de periurio pœnitentiâ imponere debere, qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio spontè commisso, & de ceteris criminalibus vitiis. Si quis verò perpetrato periurio, aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiâ longam, confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus sit, siue à communione & confortio fidelium, vt nullus eum comedat, atque bibat, neque oret, neque in sua domo recipiat.

De illis qui per capillum Dei, aut caput iurant, vel alio modo blasphemia contra Deum immortalem vtuntur. Cap. XV.

Ex decr. Pii papæ cap. 5. **S**I quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit, si est ex Ecclesiastico ordine deponatur: si laicus, anathematizetur, & quis per creaturas iurauerit, acerrimè castigetur, & iuxta quod synodus diiudicauerit pœniteat. Si quis autem talia hominem non manifestauerit, non est dubium quòd in uina condemnatione similiter coerceatur. Et si episcopus ista emendare neglexerit, à synodo corripiatur.